

in omni casu horum bonorum administrationem patri tribuit, nisi bona filio forte data aut legata fuerint ea conditione, ut illorum custodia aliis ac patri committatur. Imo, in aliquibus Statibus, v. gr, in Louisiana, pater habet usumfructum talium bonorum.<sup>1</sup>

**b) Emancipati filii habent et dominium perfectum et administrationem bonorum suorum:** restrictio autem juris respicit tantum minores.

**74b. Filius,** sive minor sive emancipatus, non censetur renuntiare, quia silentium in tantum æquivalet renuntiationi, in quantum tacens facile reclamare potest. Jamvero, quin id facile posset, plerumque metus reverentialis obstat. Ergo.

**79b. — Lex americana communis** statuit quod, si filius, labo-rans in domo paterna aut extra, alitur a patre, tunc omnia quæ lucratur pertinent ad patrem.<sup>2</sup>

**82-88b. — Jure communi americano bona uxoris** dici possunt triplicis generis, scilicet **DOTALIA, PARAPHERNALIA, et COMMUNIA.**

1) **DOTALIA** suunt pro uxore superstiti, vita ejus durante, ususfructus alicujus parits bonorum, quæ maritus durante matrimonio possederit, et quæ idcirco non potest alienare in uxoris præjudicium, nisi ipsa, seorsim interrogata a magistratu, libere consenserit, et subscribendo suo renunciaverit juri. Si maritus testamento uxori legaverit quædam bona, ut dos ejus excluderetur sive ex voluntate testatoris sive ex dispositione legis civilis, penes eam est ea bona respuere ut suo jure fruatur. Ceterum, uxore defuncta, ad hæredes mariti transeunt bona, quorum ususfructus constituit jus dotalium.<sup>3</sup>

*Ex jure communi DOTALIA* sunt ususfructus tertie partis bonorum immobilium, quæ maritus durante matrimonio posse-dertil : talis dos existit in ALABAMA, ALASKA, CONNECTICUT, COLUMBIA, DELAWARE, GEORGIA, IOWA, KENTUCKY, MARYLAND, MASSACHUSETTS, MISSOURI, NEW-HAMPSHIRE, NEW-JERSEY, NORTH CAROLINA, PENNSYLVANIA, RHODE ISLAND, SOUTH CAROLINA, TENNESSEE, VERMONT.

1. Konings, n. 603.
2. Sabetti, n. 356.
3. Konings, n. 605 ; Sabetti, n. 358.